66

Lugentem
Virum Clarissimum, Amplissimum atque Doctissimum, Professorem Gymn. Thor. meritissimum

DOMINUM

M. MARTINUM BOEHMIUM,

Inopinatum

Conjugis suæ amantissimæ,

Fœminæ probitate ac virtutibus exornatæ

ANNÆ CATHARINÆ GISYTZKINÆ,

Obitum

Hoc erecto Funerali Trophæo
erigere & solari
Voluit
Auditor & Discipulus
ejusdem observantissimus

DANIEL STROMPHIUS.

THORUNII,
Impressit IOHANNES LUD. NICOLAI.

QVid video? Protensa premit nos dextera Jovæ!
Nondum cessavit Mars campos urere bello,
Carpere nec licuit suspiria grata qvietis.
Jam rursus dextram protendit summus Jova,
Ac diræ mittit contagia tristia pestis.
Eheu mortali spectacula tristia visu!
Rursus pestis atrox vitales polluit auras,
Rursus falce metit viventia corpora lethum.
O Lacrymis, lacrymis nunc deploranda severis
Culpa ferox, grandem Jovæ quæ vindicis iram
In nos exposcit, quæ pœnas expetit amplas.
Jam pœnam justam patiaris, nostra Thoruna,
Quæ noxis actis nolebas vertere vitam:
Quæ precibus Jovam nolebas sana vocare,
Nunc cœlum lacrymis lenito peste rotata.
Heu miseri quorsum, quorsum properabimus acti
Justo justitiæ divinæ quippe furore!
Heu miseri quorsum, quorsum properabimus acti
Pestis nimirum tristis vehemente timore!
Fundite nunc lacrymas, Mortales, ducite questus
Ore graves vestro, peccata patrata dolete,
Sic retrahet dextram protensam summus Jova,
Sic pœnam meritam summa bonitate levabit,
Sic, Sic avertet contagia tristia pestis.
Desine Jova potens, Cœli Terræque Creator.
Desine, quæso, lares nostros affligere peste:
Ah! Venerande Parens, iram cohibeto furentem
Neve sinas miseros tam sæva morte perire.
O Ensis Domini! quam longe corda necabis?
Quam longe claras viduabis civibus urbes?
Quam longe gnavis populaberis arva colonis?
Ingrediare tuam vaginam prepete cursu.

Sed

Sed quorsum, quorsum scribendo penna vagaris?
Eccur ex oculis hominum nunc flumen amarum
Elicis altarum lacrymarum? Cur pia corda
Questu, singultu, luctu, mœrore fatigas?
Desine jam pravi tumidas memorare procellas
Temporis: Ah! taceas ærumnas, tristia fata.
Dices penna tamen: Proh! quam mihi seria mandas:
O utinam possem quosvis reticere dolores!
O utinam possem reticere miserrima fata!
O utinam possem lacrymas cohibere cadentes!
Verum cum dictent spetacula tristia visu
Luctus, mœrores, lacrymas, lamenta severa,
Quomodo jam possum cursum cohibere doloris?
Ast ô mortali spectacula tristia visu!
Luget Vir raptam properata morte Maritam,
Lugent deletam Genitricem funere Natæ,
Lugent Cognati pressam vi mortis Amicam,
Sic nec ego possum cordis prohibere dolorem,
Verum salsarum Lacrymarum rore madesco,
Et tristis tristes tristando profero voces:
O Lacrymis, lacrymis nunc deploranda severis
Sors ea, quæ tetigit, Te Vir Doctissime rerum!
Ah! discessit amans Conjux Tua morte perempta,
Excessit Capitis Clari Veneranda Corona.
O Funesta dies! ô tristis lucis imago!
Quæ lacrymas, gemitus, suspiria tanta tulisti.
O Funesta dies lacrymis celebrata severis!
Quæ tantum profers cordis mentisque dolorem.
Vir Venerande, Decus Musarum, magna Minervæ,
Gloria, cui laudem debet studiosa juventus,
Cum subit illius tristissima lucis imago,
Quæ Te Vir Prudens, confecit vulnere duro,

Qua

Qua Tibi cunctarum mors ultima linea rerum
Subripuit lateri dulcem charamque Maritam,
Obstupeo! fundunt lacrymas mea lumina multas.
O Sors infelix! Eheu lacrymabile fatum!
Cui non præberet magni documenta doloris,
Cui non eliceret lacrymas sors tristis acerbas?
Digna Marita Viro properata morte necatur.
Vir Venerande mihi, rerum fandique perite,
Ista fuere tuæ mentis meditata, putabas:
Ipse prius fiam lugendæ victima mortis,
Conjux chara mihi persolvet funera mœsta;
Scilicet annorum serie confectus abibo.
Sed DEUS invertit meditata, parare volenti
Uxori monumenta Tibi, jam funera solvis.
En! Charam luges uxorem morte peremptam
Ipsius lacrymis exornas funus amaris:
Tristi voce gravem fundis, Vir clare, *querelam:*
Me miserum! quo vix est infelicior ullus!
Me Domini tetigit manus, approperetis Amici,
Tergite Vos lacrymas tristes solamine dulci,
Ferte meo prompti medicamina grata dolori.
Quæ poscis, Vir clare, *fero solamina grata:*
Ille Deus, cujus terrentur singula nutu,
Qui tristes reddit svavi solamine lætos,
Te, qui nunc luges inopina morte peremptam
Uxorem, totum repleat solamine dulci,
Abstergat lacrimas super ora genasque cadentes;
Et cum nunc sequeris tristissima funera mœstus
Uxoris, senio confectum quippe trementi
Astra decora sequi jubeat Te summus Jova,

3848